



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De fide instrumentorum. Consilium CXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

rationalibus libris ita non credatur d. l. Exemplo l. rationes C. de probat. monasteriorum tamen, Capitulum, aliorumque Collegiorum libris huiusmodi continentibus redditum, bonorum, pensionum, censuum, ac solutionum annotationes solemnes continuâ præsertim serie scriptas, fides adhibenda est, l. Censu de probat. d. c. Ad audientiam, Roman. d. conf. 165. & conf. 127. Posito quod: cum huiusmodi libri per Officiales collegij vel monasterij non ultro vel ad proprium privatumque commodum, sed ex necessitate officij in re magis aliena conscribantur, Bart. in l. Nuda ratio de donat. & in l. Quedam §. numularios de edendo: quodque de veritate huiusmodi inscriptorum in dictis libris seu Registris, quoad has decimas, aliqua ex parte liquido constat; videlicet ex dicto reversali instrumento Wilhelmi Franckenhoven. Sic quod ex probata veritate dictarum rationum in una parte, seu, ut dicunt, partita, juris præsumptio fiet pro veritate aliarum particularum, Paul. Castren. conf. 301. ad bene examinandum n. 3. vol. 1. l. 1. in l. admonendi nu. 24. de iur. iur.

Quando itaque Reverendus Dominus Abbas de veritate nos consulit, & litem diffugere, quam sequi malit, consultius putamus, ut aliqua equabili transactione hanc controversiam cum dicto Capitulo componat, etiam si restituta sorte prædictarum decimarum possessio relaxanda esset, potius quam in periculum se deducat, ne ferente lite ex parte Capituli duriora proponantur quoad reddendas rationes perceptorum omnium fructuum, 11. ¶ saltem usque ad modum septuaginta maldorum avenæ, quæ procul dubio annuam quantitatem triginta duorum florenotum annuorum excederent, & quatenus excedunt in diminutionem fortis seu capitalium denariorum imputanda essent, l. 1. & ult. C. de pignori. actione: non enim ut diximus, antichresis propriè constituta dici potest dicto monasterio, sed tantum facultas injiciendi manum in defectum solutionis; unde causatur tantum communis pignoris possessio, cum facultate percipiendi fructus, eosque primum in redditum, deinde pro eo quod superest in sortem imputandi: potissimum quod pro tam exigua sorte tam magnus redditus, ne Nobilibus quidem, l. Eos §. super usurarum C. de usur. multo minus Ecclesiasticis permissus videatur. Scimus multa ex parte Reverendi Domini Abbatis ex scholasticis disputationibus, ac studio contentionis proferri posse, quæ sustinendæ litis probabilitatem aliquam habere possent, sed ad boni viri arbitrium iudiciumque collimando pro dicto Capitulo stare videtur rei propositæ veritas, cui omnia cedere debent.

De fide instrumentorum.

S V M M A R I U M.

Instrumenti subscriptio.

1. Probationes arbitrio iudicis relinquuntur.
2. Error calculi semper emendari potest.
3. 5. Subscribens instrumento quando approbare consensit.
4. Falsitas instrumenti in parte, vitiat in toto.
6. Subscriptio non semper habet effectum obligandi.
7. Iuramentum nihil probanti deferendum non est.

8. Iniquus in modico, in toto iniquus censetur.
9. Mora procuratoris quemodo Domino noceat.
10. Causa permissio cessante cessat permissio.
11. Impletum videtur quod per alium fiat quo minus impleatur.
12. Interrogationibus Iudex uti potest.
13. Usura debentur ex mora.
14. Moram non committit, qui an debeat, ignorat.

CONSILIVM CXVI.

FACTI magis quam juris quæstionem habet controversia, quæ est inter Bernardum van Etten Actorem, contra Petrum Vogels Reum, si ad rationes ipsas, & earum probationem respiciatur: ita ut non admodum opera nostra hic desiderari videatur: * cum quid probatum, quid non, iudicis arbitrio relinquendum sit, l. 3. §. 1. De testib. & in rationum supputatione (in qua iudicis error & lapsus non admodum nocet, cum sine appellatione deprehensus error corrigatur quandocumque, l. 1. in princ. qua sent. sine appel. rescind. l. 1. C. de errore calculi) non tam juris ratio, quam expensorum acceptorumque habeatur quia tamen in ea sumus sententia, ut existimemus Actorem bono iure niti, obiter aliqua pro illius deductione adferemus. Et in primis quidem ne via ad agendum præclusa videatur Actori, propter subscriptionem ab eo rationibus à Reo semel editis ex callida Rei machinatione appositam, dicimus huiusmodi subscriptionem minimè absorbere jus & facultatem in huiusmodi rationes inquirendi. * Est enim manifesta juris regula, errorem calculi si emerit, veritati præiudicium non adferre, l. 1. §. veritas de offic. præsidis: ideoque rationes etiam sæpe computatis denuo tractari posse, d. l. unica. C. de errore calculi; nisi vel res iudicata, vel transactio intercesserit, Ioan. De Anania conf. 6. Viso puncto; quæ hic non intervenit. ¶ Neque ad rem facit quod subscribens instrumento aut rationibus videatur approbare omnia contenta, ac in superiore parte scripta, l. Si ego. §. planè. de iure dot. l. viduissor §. pater de pignori. Bar. & alij in l. Emptor §. Lucius de pact. habuisseque ejus notitiam, quod continetur in rationibus præscriptis, Bart. in l. 1. §. si quis neget Quemad. reslam. aper. nam id in dubio tantum præsumitur, etiam si quis circumventus subscribat, Bart. in d. §. si quis neget. Quod ipsum aperte probavit Actor non tantum per instrumenta, sed per Rei propriam confessionem, quæ omne genus probationis superat, l. Generaliter C. de non num. pecunia. Confitetur enim Reus se pleraque velut expensa Actori computasse, quæ computanda non erant; non quidem levi, sed admodum crasso errore propter summarum, circa quas versatur huiusmodi affectatus error, magnitudinem. Cujus quidem deceptionis probatio facit, ut subscriptio hæc vires suas non servet in comprobandis his, quæ in scripta charta continentur, Alex. conf. 147. Ponderat nu. 4. vol. 2. l. ason & alij in l. Inter stipulantes §. Chrysogonus nu. 14. de verb. oblig. ¶ Quinimò detecta falsitate alicujus particularæ pro totius instrumenti falsitate præsumendum aut saltem subspiciendum est, Specul. tit. de instrum. edit. §. instrumentum ergo, versic. quid si ali- quod instrumentum, Alex. conf. 113. Viso & diligenter nu. 8.

nu. 8. vol. 4. ut non sit mirum si singulorum quæ in rationibus continentur probationem petere possit Actor, qui nunquam huiusmodi rationes in manibus habuit per notabile saltem aliquod intervallum, quod illis maturè excutendis satis fuisset, *lason. d. §. Obryfogorus nu. 14.* ut interea omittamus illud quod ex minoris ætatis beneficio Actor pro-

6 posuit. * Cùm ergo erronea subscriptio non noceat *l. Titius Sej. De rescind. vendit. & docto de errore suspectum habeatur subscriptum instrumentum, Bart. in d. §. si quis neger. bona ratione questio calculi & rationum refutari potuit, non in eo tantum ut numeri habeatur ratio, quod Reus præendit; verùm etiam ut veritatis & falsitatis eorum quæ Reus in rationes subscriptas contulit fiat indagatio. † Sic ut quemadmodum promissio secundum priorem calculum facta non impedit cōditionem liberationis d. l. unica in fin. c. de errore calculi. ita nec subscriptio obligandi effectum habet, sed tantum comprobandi actum, ita per Reum fuisse calculatum d. l. fideiussor §. pater in quibus si quis scrupulus restaret, is proflus tolleretur Dominorum iudicium (qui & in hac causa iudicabunt) antecedentis sententiæ auctoritate qua Reus condemnatus est ad admitendum refutationem & recollectionem rationum semel reditarum; quæ cum in rem iudicatam transferit, retractari non debet *l. 1. C. de re iudic. Hoc igitur constituto, & præsupposito de novo reddendas esse rationes, aut saltem Actori permittendum ut semel exhibitarum rationum particulas impugnare possit, ne quod longum & infiniti laboris esset, singulis particulis impugnatis insitamus; hoc in genere dicimus quod in omnibus particulis, quas negat esse veras obtinere debeat Actor, & ijs velut minimè expensis sed delectis atque expunctis, tanta summa Actori adjudicari debeat quanta fuit huiusmodi expensorum in unum collectorum. †**

8 Nam quod Reus dicit earum probationem aliquando Actor fecisse, non apparet, neque verosimile est ex tam modico intervallo perijisse probandi facultatem, quæ semel ad manum fuit; & ut perijisset, quia probatione destituitur Reus, jure quoque destitui censetur *l. duo sum Titij de testam. tur.* ita ut nec ad oblatum iuramentum admitti possit; tum quod circa eas particulas nihil probavit c. fin. de iureiurando; tum quod per detectam priorum in multis particulis & per eum confessam falsitatem hoc beneficio indignus videatur

9 Doct. in l. Admonendi De iureiur. † Qui enim in modico iniquus est, in toto iniquus videri debet, *Aleat in tract. præsumpt. reg. 2. cap. 7.* sibi que gratulari debet Reus quod Actor non omnia quæ prioribus rationibus comprehensa sunt in dubium revocet, & ad earum veritatem asstruendam eum oneret. Secundus articulus impugnationis pluribus communis est, de solvendis viginti stufis pro singulis fertellis siliginis; ubi Reus in rationibus longe minus ponit; in quo actor idcirco obtinere debet. Cùm enim Reus sine ulla evidenti negatione facile admitat, & per extractum instrumenti locationis secundo loco inter instrumenta actoris exhibitum manifestè probetur ita conventum fuisse cum colonis, ut quibus annis frumentum carius venderetur 20. stufis, solutione viginti

stufierum liberari possent, ac consequenter ut Actor per extracta ex libro publici & iurati curatoris panis (quem Arcadius Episcopum appellat, in l. Munerum §. Venerabili vers. item Episcopi De munet. & honorib.) evidenter probet, ijs annis, & me illibus, quibus huiusmodi frumentorum reditus solvi debuerunt, frumenti pretium semper excessisse 20. stufis, secundum legem conventionis, non debuit Reus minus recipere: ideo quæ sibi imputare debeat, si in gerendo alieno negotio seu mandato negligenter versatus sit, c. *Dammum De reg. iuris lib. 6.* Nec facit in contrarium, si forte aliquibus mensibus pretium fuerit minus: nam de eo non constat, nec ullâ probatione Reus id probavit. Rectè ergo petit actor, ut Reus superaddat, quanto minus in priores rationes contulit.

Tertius articulus etiam subinde repetitus est, de oneribus quibuscumque per Reum expensis; de quibus non admodum laborandum est, quod partim continetur sub primo generali articulo superius proposito, negationis scilicet per Actorem factæ, sic ut deficiente Rei probatione pro expensis haberi non debeant; tantoque minus, quod eorum pleraque Actor evidente probatione docuerit per se seu alios, & minimè per Reum soluta fuisse; partim verò ejus generis sint, ut eorum solutionem sibi & suæ negligentia imputare debeat Reus. * Nam

10 quamvis mora administratoris domino nocere possit *Bald. in l. si per te C. De usuris;* non ita tamen nocet, quin indemnitate præstare debeat procurator seu administrator: quia si ob moram à se commissam aliquid præstiterit, sibi imputare debet ob culpam suam, d. c. *Dammum & minimè à domino recuperare, l. Qui proprio §. procurator in fine De procurat.*

Quartus articulus etiam generalis est, an Actor pati debeat defalcationem vicelimi denarii illius quod Actor ipse per se recepit, & Reus recipiendi illius laborem nullum subiit? In quo sanè non omnino expedita est responsio; facti enim quæstionem continet, & ex conventionione Rei cum Actore, aut eo à quo administrationem suscepit dependet. Si enim ita convenit, ut ejus, quod receptum esset, vicelimus denarius per Reum retineretur, conventionione in rem simpliciter concepta, iniquum erit, ut ejus, quod Actor recepit, vicelimum denarium Reus imputet: * ob causam enim id permissum videri debet, quæ cessante facultas defalcandi seu imputandi quoque cessare debet, c. 2. *De usso. eucharist. l. Qui tutelam de testam. tur. Bald. in l. 1. per eum textum vers. non aliter, De off. eius cui mand. est iurisdic.* Sin verò ita suscepta fuit administratio, ut respectu omnium bonorum & reddituum Actoris ac receptionis eorundem, ad hanc administrationem accesserit Reus cogitatione amplioris lucris, non erit æquum, ut recepta per Actorem detractioni vicelimi denarii non subijciantur: est enim velut una promissio vicelimi denarii omnium reddituum ob causam receptionis; in qua si Reus impeditus fuit per Actorem, nihil detrimenti accipere debet, † secundum vulgarem juris regulam, quæ pro facto impleto habetur, quod quò minus fieret, per eum non stetit, cujus interfuit fieri aut impleri, *l. iure civili de condit. & demonstr. l. In iure civili De reg.*

reg. iuris. † Cum ergo ex actis, utrum hoc convenerit, satis liquido non appareat, consulto fecerint Domini Iudices, si ex officio per interrogationes partes desuper interrogent, l. *Ubiunque de interrogat. action. aut saltem quod in similibus receptoribus apud eos servari solet sequantur, arg. l. de quibus, de legib. live id quod credibile magis est, partes voluisse, l. cum in testamento de reb. dub. Et haec genus quidem de debito principali.*

Ceterum quia Actor in singulis petitionibus subiicit petitionem interesse, videndum est, quidnam eo nomine & à quo tempore praestari debeat.

† Et paucis deberi usuras ex mora dubium non esse dicimus, moram constituentes ab eo tempore, quo unquamque summam in rationes referre omisit, & in suos usus convertit Reus; item quo ea quae imputare debuit ex pecunia seu redditibus Actoris, sibi retinuit; usuras autem in his regionibus solvi solitas, hoc est ad rationem decimi sexti denarii. In quo nihil haesitandum est, ob apertissimam juris dispositionem in hoc articulo militantem, in l. *idemque §. si procurator D. Mandati. l. acqui natura §. penul. de negot. gest. sic ut Actoris conclusiones, circa ejus quod interest praestationem, recte sint conceptae. Quod promptius hic admittendum dicimus, propter Reidolum, quo in edendis his rationibus & extorquenda Actoris subscriptione usus est: † alioqui enim propter justam ignorantiam dici posset iniquum esse Reum usuras praestare ante impugnationem rationum semel editarum factam, l. *sciendum cum 2. seqq. de usur. in mora enim (sine qua usurarum obligatio non nascitur, l. mora §. in bona fide de usur.) non est, qui, an debeat, probabiliter ignorat. Quod re. de reb. cred. l. non potest videri improbus de reg. iuris.**

Ex quibus omnibus manifestum satis esse arbitramur, quae sint futurae partes Dominorum Iudicum in revidendis & terminandis supradictis rationibus & controversiis.

De fide instrumentorum.

SUMMARIVM.

Subscriptio.

1. 3. Instrumenti publici vis & potestas.
2. Instrumentum privatum quando comparatur publico.
4. Subscriptio & sigillatio quando nocens.
5. Causa donandi, donationem restringit.
6. sequens alius antecedentis conditionem declarat.
7. 10. Donatio ob merita.
8. II. Donatio ex penitentia non revocatur.
9. Iurare an cogatur qui plene probavit.

CONSILIUM CXVII.

SI ad solum instrumentum donationis, quae Illustrissimus Philippus dux Arschotensis Claudio Roussel fecisse dicitur, advertatur, parum probabilitatis habere videbuntur, quae vel pro subvertenda, vel constringenda dicta donatione ex parte dicti Illustrissimi Domini proponuntur: si vero ad ea oculos conijciamus, quae extra teno-

rem instrumenti in facto proponuntur, eorundem veritate praesupposita fides instrumenti erit infirma. Ex primo conspectu plurimum intentioni Illustrissimi Domini repugnat dicti instrumenti tenor: * instrumentum enim in publicam formam redacto tamquam probata, ut ait Baldus, in l. *Imperator 1. nu. 2. D. de statu hom. l. as. in repet. l. admonendi num. 145. de iurejur. probationi standum, & fides adhibenda est; sic ut vix possit quicquam allegari in contrarium, cum habeatur pro comperta & notoria veritate, l. as. d. nu. 145. faciatque rem haberi pro manifesta, c. *Cum olim de verb. signif. ita ut qualis apparet esse contractus ex prima illius figura, quam tenor instrumenti demonstrat, talis quoque praesumatur esse in sua essentia, Bald. in c. 1. in princ. de feudo dato in vicem legis commissoria.**

† Quod quidem de instrumentum publico per Notarium confectio accommodari potest, privatis instrumentis propriae manus subnotatione & sigilli proprii in signum testimonij appensione munitis. Scripturae enim privatae contra scribentem ad probationem obligationis omnino creditur & statuitur, l. *publia §. fin. D. Depositi; & sigilli appensio facit, ut scriptura dicatur omnino indubitata, Bald. in l. In bona fidei num. 5. C. de reb. cred. imò etiam publica, c. 2. & ibi Innocent. de fide instrum. quamvis solemnitas instrumentorum publicorum non sint addita, l. *Cum tabernam §. idem quasit de pig. Bald. d. nu. 5. Cum ergo tam apertas & manifestas sit dictae donationis tenor, vix videtur esse, unde extrinsecus illius potestas vel suspensio vel restringi possit.**

Ceterum tam firma non est in suo genere huius instrumenti fides quin non tantum contrariae veritatis probatione (quo remedio etiam verè publicis instrumentis, quae omnimodam juris praesumptionem pro se habent, occurrere solet, l. *Optimam C. de contrah. stipul. l. cum precibus. C. de probat.*) sed etiam demonstratione imperfectionis, aut saltem fragilitatis qua laborat, impugnari possit: ita ut magna probabilitas consistat in his, quae adversus intentionem donatarii pro parte Illustrissimi Domini proponuntur. Principio enim quod proponitur Illustrissimum Dominum non legisse scripturam donationis, sed ei temerè subscripsisse, & sigillum appendisse, magnam vim habet ad obligationem evitendam & fidem instrumenti detrahendam: † sic enim subscriptio seu sigillatio demum praepiudicare solet, si vel ex subscriptione vel alijunde constare possit, scribentem sigillantemque totam praecedentem scripturam, cui subscripsit, relegisse, vel ei praestitam esse: eoque casu paria sunt, & aequè praepiudicat, quòd quis contractum aliquem à se initum totum scribat, l. *Cum antiquitas in fine & ibi Alex. & Cast. C. de testam. l. fideiusor 26. §. de pig. vel quòd ab alio scripto contractui ipse subscribat tantum, l. emptor §. Lucius & ibi lason. de pact. l. si ego §. dotis de iure dotium. At qui subscribit instrumento non relecto, vel chartae vacuae, in qua aliud, quam voluit, postea invenitur inscriptum, nulla ratione sibi praepiudicat, Bart. ad l. 1. in fine D. quemad testam. aper. Imola. relin. & alij in c. 2. de fide instrum. Quod notant Doctores, Imola in l. Si ita stipulatus §. chrysogonus nu. 1. & ibi Alex.*